

R. 40.826 Foll. 295-6



APOSTOLICO VIRO,
 SECUNDO GALLECIÆ,
 ATQUE LUSITANIÆ
 PAULO,
 DIVO PETRO
 GONZALEZ,
 QUEM VULGUS TELMO,
 TUDENSIS ECCLESIAE
 Tutelari mirando



THEOREMATA HÆC OFFERUNT
 D. PASCHALIS ANTONIUS LESTON,
 ejusque Discipulus D. Josephus Gonzalez in
 æternum grati animi monumentum.

CUM LICENTIA:
 In Typog. Sebastiani Montero & Frayz.


1802

Millia mille canunt linguæ te celsa Tudensis
 Urbs & in æternum : millia mille canunt.
 Lingua canora canat sacrum , quem claudis honore .
 Thesaurum magno : lingua canora canat.
 Sedibus ille jacet magnus , qui ductor Olympi
 Jam fuit excelsi : sedibus ille jacet.
 Arcibus ecce tuis sanctus manet ille repostus
 Petrus qui & Telmus : arcibus ecce tuis.
 Auribus Orbe sonet Telmi , gentisque Tudensis
 Gloria , laus , nomen : auribus Orbe sonet.
 Undique fama volat signorum magna per Orbem
 Petri Gonzalez : undique fama volat.
 Nuntius iste fuit Christi præconia regni
 Insinuans populis : nuntius iste fuit.
 Fundere vita fuit , terrasque implere docendo
 Signis , & miris : fundere vita fuit.
 Captus amore Dei verbum transmisit in oras
 Divinum hispanas : captus amore Dei.
 Sed magis arsit amans priscae , celebrisque Tudensis
 Urbis , qua colitur : sed magis arsit amans.
 Ducite ad astra Petrum mea carmina ducite Telmum
 Semper honore pio : ducite ad astra Petrum.
 Mortuus ardet amans , tenero liquefactus amore ,
 Mortuus ut vivens : mortuus ardet amans.
 Mollitèr Ossa cubant Telmi pulchra Urbe Tudensi
 Sæclis jam quatuor : mollitèr Ossa cubant,
 En tuba plena Deo , nostro clarissima Regno ,
 Morum , ac exemplar : en tuba plena Deo,
 Mors tua , vita , salus cunctis terraque , marique
 Nam benè multa patent : mors tua , vita , salus.
 Maxima semper ades mæstis fiducia nautis
 Auxilium præstans : maxima semper ades.
 O mea vota darent numeris memorare revinctis
 Vel hoc , vel illud : ò mea vota darent !
 Auribus omne sonet quantum tibi tempus in omne
 Psallamus famuli : auribus omne sonet.

Dea

4

Denique quæso, vide, quanto fulgore Sacellum
Jam radiat Telmi: denique quæso, vide.
Fulgurat inque suis fulvum laquearibus aurum
Et resonant laudes: fulgurat inque suis.
Protegè Telme parens quemquam pro corde clientem,
Tempora dum poscunt: protege Telme parens.
Aspice corde pio Paschalem te ore rogantem,
Aspice Josephum: aspice corde pio.
Spes sibi magna superst proprium appellare parentem,
En duo cultores: spes sibi magna superst.
Accipe (mente rogant) quæ sunt munuscula Telme,
Has Sophiæ Theses: accipe mente rogant.



LECTORI MONITUM.

HAud comprimor, quin, Lector perquirendæ veritatis avide, ingenuè fatear rationum momenta, quæ me abundè obstrinxere, ut Theoremata hæc multis fortasse inimica, omnibus ferme, qui Aristoteleæ doctrinæ multum temporis insudare, maximè ingrata publicæ sapientum discussioni subjiciam. Ingrata dixi; at quid mirum? etenim eidem, cui ipsi sententiæ subscribunt, adéo olim totus adhæsi, ut Recentiorum argumenta non semel horrenda dixerim: stupenda somnia ad ultimas terras amandanda: Religioni per quam exosa: Conciliis, & Ecclesiæ Patribus infesta. ; O miserrimam, ajebam, hominum horumce conditionem! ; O infelix ingenii acumen! ; O inexpiandum eorum nefas, qui hæccine glutunt, hæccine blaterant! Otientur, otientur, aut vera, & falsa ponderent, certa, & ambigua pensitent, dicenda mentis ocellis perlustrent. ; Vah! quanta memini in hosce jure sapientes agglomerata diæteria, usque dum, nescio qua curiositate allectus ipsorum libris noctes benè multas immersi. Quo ex tempore reor me palam in multis fuisse deceptum; in alijs verò plura, ne dicam plurima, quæ scr-

*

tari

tari obtinui, omninò omittenda iri cognovi. Sint sanè vera, aut verosimilia: sint inter utilia admodum annumeranda: ad docendum apposita: ad dicendum ornatissima. Ast meherculè non mihi ita visa; quin potius eorum, quos litterarius Orbis quam justè miratur fundamentis (quæ me tantisper calluisse credo) fui plenè convictus; præsertim in his quæ publico prælo comprimere opto; paratus tamen ex animo ea flocci æstimare, modo eorundem falsitas, cui sub veri larva forsan fucatus firmum præstiterim assensum, mihi detur intelligi. Quod inficiabitur nemo, qui me, meosque mœurs parumper attendat. Non laudis cupiditas, non titillans gloria, non desiderium illud, quò mortales eò trahuntur, ut suis dumtaxat commodis obsequantur, me ad hoc impullere, sed una veritas, si non nacta, enixim quæsita, quæ nulli non debet esse intime cordi. Unum solummodo, Lector amice, timidum existimo, illa nempe quorundam opprobria (neminem indigito, neminem lædo) quibus Magistros mordère potius, quam ipsorum Theses oppetere tentant. ; Proh Deus immortalis! ; Quorsum ista denigrantia verbula? ; Quorsum improba? ; Quorsum tot infanda delicia? ; Quorsum qui talia garrunt? Hos tamen rogabo, secum habitent,

ut

ut norint, quam sit ipsis curta supellex. Spero veruntamen, precorque suppliciter, hujuscemodi dictis valere dicant, qui in votis habent laudatas Theses falsitatis convincere; alioquin meis in faucibus vocem inhætere jubebo. De cætero omnium sistemata honoribus amplissimis cumulata, fortunisque maximis usque in Coelum evecta, quò ad me attinet, gloriabundus audirem. Ea vero laude prosequi, aut maledico dente impunè carere, nec nostra interest. Sed, Lector, hæc hactenus; quippe perdifficile judico obloquentis premere murmura vulgi, uti & illorum, qui dignitatis, qua donantur obliti in alios affatim student maledica ingerere convitia.

Circa rerum naturalium intrinseca principia variæ fuerunt antiquorum opiniones, quas ad examinis trutinam vocare in præsentiarum nolumus, cum non certo constet, quid aliqui ex ipsis definiant. Superest, ergo, ut naturam formæ substantialis, & accidentium novem, quæ in Peripatu explicantur, investigemus; quamobrem sit

THEOREMA PRIMUM.

Materia forma modificatur, ut hoc potius quam illud compositum constituat.

II.

II.

Forma illa non est quædam entitas materialis distincta à materiæ partibus, ut autumant Scholastici.

III.

Hujuscemodi formæ productionem chimæricam esse asseveramus.

IV.

Hinc Brutorum animam esse puram materiam propugnabimus.

V.

Est tamen ejus indolis, ut Bruta animantia constituat sensatione donata.

VI.

Verumtamen in ipsis non est completa sensitio, sicut illa, quæ in nobis est; cæterum propriè dicitur incompleta, quæ solum in organis sensus corporei formatur.

VII.

Bruta, quibus deloquimur memoriam habere opinamur.

VIII.

Est etiam ipsis potentia imaginativa, objecta nempe pingendi facultas.

IX.

Sententiam eorum, qui asserunt laudatas animas

mas discursivas esse, quamvis probabilis sit, re-
jiciemus.

X.

Cum ex actionibus in causæ cognitionem de-
veniamus, ex sententia, quam tuentur, qui Bru-
torum animas discursivas esse asserunt, optimè in-
ferri illas esse intelligendi capaces sustinebimus.

XI.

Si anima quæ apud Aristotelicos materialis est,
suas ordinaret actiones, ita ut cognosceret con-
nexiones, media inter & fines, nullomodo rejiceren-
tur asserentes nullam in hominibus esse spiritua-
lem animam, sed materialem dumtaxat Bruto-
rum ad instar.

XII.

Recentiorum Doctrina circa formam substan-
tialem non probat homines automata esse, ut
contendunt Aristotelici.

XIII.

Non sunt ullæ formæ accidentales in natura
rerum distinctæ realitèr ab omni substantia, ejus-
que modificatione, ut communiter explicantur.

XIV.

Hinc novem prædicamenta, quæ nec substan-
tia, nec spiritus, nec utriusque modificationes
sint, non nobis arrident, ea verò prout à Recen-
tioribus intelliguntur, explicabimus.

XV.

XV.

In hoc sistemate palam fiet quod in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento non sit illa accidentium congeries, pro qua enixè pugnant Aristotelici.

XVI.

Qui asserunt sistema dictum esse oppositum Concilij, Doctrinæ Ecclesiæ, atque Sanctis Patribus apertè falluntur.

Usquehùc sermo de principiis naturalium rerum: Nunc verò de Elementis, quæ in mixti constitutionem ingrediuntur, rectæ methodo operam navantes, dicemus. Ideo sit

XVII.

Elementum ignis nihil aliud est, quam particularum valdè subtilium cumulus, quæ certè natura sua sese movent rapido, veloci, abundè forti, tremulo, ac vibratorio motu.

XVIII.

Materiam igneam gravem esse recta ratione ducti sustinebimus.

XIX.

Hæc definitio Aristotelis, qua ignis explicatur: *Elementum nempè in summo calidum*, non explicat ignis naturam.

XX.

XX.

Ignearum particulas totaliter liberas, quae sursum tendunt, atque in pyramidem se disponunt, flammam esse suadebimus.

XXI.

Ignis regionem non esse, ubi illam Ptolomaeus putavit; nempe aeream supra massam, monstrabimus.

XXII.

Regionem ejusmodi, quam plures supra aera esse oblitterarunt, in concavis terrae locabimus.

XXIII.

Mirabilem nitrati pulveris vim, quae miros admodum parturit effectus, in aeris particulis, quae in pulvere detinentur, consistere dicemus.

XXIV.

Elementum aqua perperam Scholastici hac definitione definiunt: *Corpus humidissimum, ac frigidum.*

XXV.

Dicti Elementi pondus consistere asseremus in majori, aut minori materiae portione.

XXVI.

Probabile verò judicamus aquam non admittere sensibilem compressionem.

XXVII.

XXVII.

Aer est corpus fluidum tenuissimis particulis constans, ramosa figura præditis, flexibilibus valde, maxime elasticis, debilemque nexum se se inter habentibus.

XXVIII.

Aerem ponderosum, aut gravem esse dicimus.

XXIX.

Quamvis aeris pondus sit revera tale, quale in nostro stabilimus affecto, hinc minime deducet quis homines, & animantia quæquæ ipsius oppressionem sentire debere.

XXX.

Terra uti Elementum malè definitur: *Elementum frigidam, & siccum in summo.*

Hæc resolvet in R. C. Univ. D. Josephus Gonzalez, Præside D. D. PASCHALI ANTONIO LESTON, Theolog. Doct., Artium Mag., atque Facultatis ejusdem Regio Cathedrario.

Die 15. Junij, anni Dñi. 1780.

Horis pro tempore solitis.

PRO CATHEDRA.

FINIS.

*Estas conclusiones se prohibicionis defen
por el claustro pleno, por el clon de la Universidad de San
todas sus señoras!*

